



Biblioteca estense universitaria

Largo S. Agostino 337

I-41121 Modena MO

Tel ++39 + 59 222248

Fax ++39 +59 230195

b-este@beniculturali.it

<http://bibliotecaestense.beniculturali.it>

misc.ferr.mor.3.22

Statuta collegii dominorum causidicorum et seu  
procuratorum inclytæ civitatis Mutinæ

Gadaldini, Modena 1559

Ex libri conte Giorgio Ferrari Moreni

Img: V. Negro, 2009

R. BIBLIOTECA ESTENSE

Misc. Ferrari Moreni

3

22

1559

24

B

B IV 24

UNCE012767  
A2785F

40124 CD



STATVTA COLLE  
 GII DOMINORVM CAVSIDI  
 CORVM, ET SEV PROCVRATORVM  
 INCLYTAE CIVITATIS  
 MVTINAE.



MVTINAE, EX OFFICINA GADALDINA.  
 M. D. LIX. MENSE IVNIO.



ST. ALBANS  
CITY OF ST. ALBANS  
CORPORATION  
MAY 1881

MAY 1881  
ST. ALBANS  
CORPORATION

M: D. LIIII:

DIE VIII. OCTOBRIS, LVNAE.



MAGNIFICI Domini Conseruatores Ciuitatis Mutinæ sono campanæ, & more usitato uocati fuerunt in Senatum, ut de rebus publicis consilium inter se caperent, deliberarentq;.

Conuenerunt autem omnes infra scripti.  
Magnificus Dominus Iacobus Valentinus Prior.  
Magnificus Dominus Albertus Balugola Eques.  
Magnificus Dominus Gaspar Manzolus.  
Dominus Iacobus Rhenus.  
Dominus Antonius Folianus.  
Dominus Thomas Fontanus.  
Dominus Nicolaus Casteluitreus.  
Dominus Hippolytus Carandinus.  
Dominus Sebastianus Pazanus.  
Adfuit Magnificus Dominus Prætor.  
Adfuit & Dominus Syndicus Generalis:

¶ Qui Domini Conseruatores iusserunt in Senatum ad se se uocari Dominos Causidicos eiusdem ciuitatis Mutinæ.

Eorum autem, qui adfuerunt, hæc sunt nomina. D. Philippus Vignola. D. Dominicus Mazonus. D. Io. Silingardus. D. Ioannes Andreas Manzolus. D. Ioannes Augustinus Pignatus. D. Andreas Barocius. D. Ioannes Laurentius Villanus. D. Antonius Prignanus. D. Hieronymus Luchinus. D. Franciscus Tassonus. D. Ioannes Baptista Scodobius.

Hos cum in Senatu adessent, rogarunt, ut sine ulla mora Collegium ordinis sui constituere uellent, idq; ornatissimis, atq; æquissimis Decretis honestarent, ac in ipsum, absq; controuersia aliqua, acciperent, cooptarentq; eos omnes, qui causas hæctenus dicere consueuerunt. In posterum uero eis potestatem fecerunt, ut ipsis liceat suo arbitratu statuere, quinam in idem collegium accipiendi sint, necne. Quod si fecerint (ut sperant) nihil huic Magnificæ Communitati hoc tempore gratius, & eorum ordine dignius, atq; laudabilius ab eis fieri poterit.

Qui quidem Causidici uno omnium ore responderunt, se esse pa-

ratos, eorum precibus semper obedire, atq; hoc factum maxime laudare. Quibus Domini Conseruatores gratias egerunt quammaximas. Et præterea rogarunt Dominum Philippum Vignolam iuris scientia præditum, ut huius collegij Decreta quãprimum facere uelit, eiq; negocium hoc dederunt: quod & libentissime suscepit, & Decreta ipsa se esse facturum ipsis recepit. Rogantes me Notarium infra scriptum, & Magnificæ Communitatis Cancellariũ & ipsi Domini Conseruatores & Domini Causidici, ut omnia supra scripta literis mandarem, & Instrumentum publicum unũ, seu plura, quoties opus erit, ex Exemplari meo describerem.

Acta hæc sunt in Senatu ipso, præsentibus testibus adhibitis atq; rogatis, Magnifico Domino Paulo Liuitiano, Ioanne Baptista Saxo-marino, & Francisco Serna ciuibus Mutinentibus, &c.

**E**go Franciscus Camuranus quondam Domini Bernardini Bosii filius, ciuis Mutinensis, publicus Apostolica, Imperiali, & Communis Mutinæ autoritate Notarius, ac eiusdem Communis nunc Cancellarius supra scriptis omnibus interfui, & ea rogatus scripsi, & signum, nomenq; meum, more meo, in margine apposui, &c.

#### HERCVLES DVX FERRARIAE &c.

**M**ESSER' ALFONSO: Voi uedrete dal Rescritto nostro annotato alla litera scrittaci dalli Conseruatori di coteſta noſtra Citta, quanto ſi contentiamo di concedere alli Procuratori d'eſſa Citta, a contemplation' loro. Pero col mezo di queſta noſtra ui dicemo, che facciate, che gli ordini, & Capitoli, li quali ſono quindecim, che da eſſi Procuratori, o ſuoi agenti, ui ſaranno eſhibiti, ſiano omninamente offeruati. Et ſtate ſano.

Ferrariæ. 18. Aprilis. 1559.

A tergo. Gubernatori noſtro Mutinæ, &c.

Illustrissimo, & Eccellentissimo S. nostro offeruandissimo.

**P**ER gli Spettabili Procuratori di questa sua fidelissima Citta e stato presentato a noi certi suoi Capitoli, & supplicato, a uolerli cōcedere licentia di fare un Collegio de Procuratori; Quali son stati uisti, & diligentemente esaminati p noi. & considerando di non potere fare tal concessione senza l'autorita, & special consenso di V. E. Illustriss. con questa nostra di credenza gli mandiamo a quella, con pregarla; che si degni di special gratia approuargli, & concedergli licentia, che in questa Citta essi Procuratori possino fare un' Collegio, secondo la forma & il modo de detti Capitoli. & con tal fin', pregadogli da Iddio ogni felicità, humilmēte se gli raccomandiamo. Di Modona, il di XXX. Decembre. 1558.

Di Vostra Eccellentia Illustrissima

Fidelissimi seruitori

Gli Conferuatori di Modona.

**I**llustrissimus Dominus Noster DVX ex certa scientia cōcedit supplicantibus licentiam, & authoritatem instituendi dictū Collegium Procuratorum, iuxta formam, & secundum continentiam, ordines, & modum Capitulorum exhibitorum.

Baptista Sarrachus XVIII. Aprilis. 1559.

A tergo, Allo Illustrissimo & Eccellentiss. Signore il S. Duca di Ferrara Signore nostro offeruandissimo.

**I**N CHRISTI NOMINE. AMEN: Anno Natiuitatis eiusdem M. D. LIX. Die XXII. Aprilis, in tertiis hora iuris. Magnifici Domini Procuratores huius Ciuitatis Mutinæ præsentarunt actualiter Illust. Domino Domino Alfonso Trotto generali dignissimo pro Illustrissimo & Eccellentissimo D. Duce nostro & c. prædictæ Ciuitatis Mutinæ Governatori quasdā literas Ducales. D. S. directiuas, una cum quibusdam Capitulis Collegii ipsorum

A iii

Causidicorū, obtentis & impetratis ab eius Excel. pro institutione dicti eorum Collegii, instantes eas, & ea aperiri, & admitti, &c.

Qui Illust. D. Gubernator ubi infra existens prædictas literas, & Capitula accepit, aperuit, & admisit, &c.

Actum in Castello prædictæ Ciuitatis Mutinæ, & in camera audientiae præfacti Illust. D. Gubernatoris, præsentibus testibus, uidelicet, D. Benedicto Bartholomæo, D. Christophoro Scalabrino, & Bernardino Tassono Notariis, &c.

Ego Gentilis Albinus Cancellarius, & Notarius rogatus fui, &c.

Die V. Maii, in tertiis, hora iuris.

¶ Supradictæ literæ Ducales una cum Rubricis prædictorum Capitulorum publicatæ fuerunt per me Gentilem Albinum Cancellarium infrascriptum in Palatio Communis Mutinæ, & ad bancum iuris, coram omnibus Magnificis Procuratoribus præfatis audientibus & intelligentibus, Magnif. D. Prætorè Mutinæ pro tribunali sedente, & ius reddente, sonoq; tubæ præmissæ per Franciscum Sernam publicum præconem Magnificæ Communitatis Mutinæ.

Quibus Dominis Procuratoribus ex parte Illust. D. S. etiam intimaui, qualiter eadem eis assignat tempus per totum præsentem mensem, ad fieri faciendum, & se se eas induendum pro eorum habitu, uestes oblongas, de quibus in dictis Capitulis disponitur, sub pœna decem librarum pro quolibet eorum contrafaciente, applicanda cameræ Ducali, ultra alias pœnas, de quibus continetur in Capitulo speciali loquente de eis, &c.

Qui omnes Magnifici D. Procuratores prædicta benigne, & quiete audiuerunt: & eidem Illust. D. Gubernatori gratias quamplurimas egerunt.

Præsentibus quoq; testibus, uidelicet, Domino Ioanne Festasio, Domino Ioanne Lodouico Carandino, D. Antonio Montanario Notariis, & Domino Bernardino Tassono, &c.

¶ Ego Gentilis Albinus filius quondam D. Octauiani, ciuis, & Apostolica, & Imperiali authoritatibus Notarius publicus Ferrariensis, & Mutinensis, & Cancellarius Ducalis in Regimine Mutinæ, suprascriptis omnibus & singulis præses fui, eaq; rogatus scribere scripsi, publicauit, & authenticaui signo & nomine meis consuetis.

**I**N CHRISTI NOMINE: AMEN. Anno a natiuitate  
eiusdem millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, Indic-  
tione secunda, die uero Sabbati, sexto Mensis Maii.

**¶** Si congregorno i Signori Conseruatori della Citta di Mo-  
dona, dal suono della campana chiamati, & a richiesta delli Noncii  
del Cōsiglio, de Cōmissione del Magnifico Messer Pietro Fusche-  
ri loro Priore, per trattare i publici negocii della Citta, eccetti,

M. Alessandro Tassone, e'

M. Paulo Superchio,

Alla presentia delli Magnifici Signori Syndici.

V'interuenne il Magnifico Sig. Podesta, che sedete al solito loco.

Fra le altre cose ordinate & trattate nel presente Consiglio, fu ordi-  
nato questa, uidelicet.

Per gli Statuti de Signori Procuratori.

Francesco Serna publico Trombetta referse, hauere publicato gli  
Statuti de Signori Procuratori al Bancho della raggione, nel tem-  
po, ch'el Signor Podesta rendeua raggione, sonata la Tromba.

Et parimete referse, hauere publicato detti Statuti all'A renghie-  
ra, sonata la Tromba, & letti per me Paulo Luchino Nodaro.

Alla presentia de M. Mattheo maria Zarlata, & de M. Zanfran-  
cesco Galliano Cittadini Modonesi.

**¶** Ego Thomas filius quondam Domini Iacobi Seghitii ciuis, ac  
publicus Apostolica, Imperiali, & Communis Mutinae autoritati-  
bus Notarius, & de praesenti unus ex Cancellariis Magnificae Com-  
munitatis Mutinae praedictis praesens fui, & ea rogatus scribere scri-  
psi. Et quia praesens exemplum extractum ex Vaccheta Magnificae  
Communitatis Mutinae cum Originali auscultatum concordare  
inueni, hic me subscripsi, publicavi, & authenticavi, signo, & no-  
mine meis consuetis apposis, de commissione & mandato Ma-  
gnificorum Dominorum Conseruatorum, ad instantiam Magni-  
ficorum Dominorum Procuratorum, licet aliena manu sit scri-  
ptum, &c.

STATVTA COLLEGII DOMINORVM CAVSIDICORVM ET SEV PROCVRATORVM CIVITATIS MVTINAE.

De Collegio Causidicorum siue Procuratorum Ciuitatis Mutinae  
faciendo, & constituendo. Rub. I.



QVONIAM ob imperitiam Causidicorū & seu Procuratorum ad lites & causas, litigantes incommodis ac dispendiis plarumq; affici notum est: propterea pro bono communi, cupientes causas & lites per viros iuris peritos agitari, statuimus & ordinamus, quod fiat & constituatur Collegium causidicorum & seu Procuratorum Ciuitatis Mutinae, in quod nullus possit describi, nec recipi, nisi prius operam dederit ac studuerit iuri ciuili, saltem per biennium, ac per tempus biennii audiuerit aliquem iurisconsultum ius ciuile publice & in loco publico profitentem, docentemq; & interpretantem, & nisi prius obtinuerit licentiam & facultatem procurandi & procurae officium exercendi a Mag. D. Praetore Mutinae & D. Priore dicti Collegii, qui pro tempore fuerint, ac nisi sit maior annis. xx. aetatis suae, & soluerit ipsi collegio seu D. Priori dicti collegii pro dicto collegio recipienti libras. 3. monetae Mut. & nisi sit originarius ciuis Ciuitatis Mutinae, origine propria, uel saltem paterna. & nisi in ipsa Ciuitate habitet, atq; onera cum aliis ciuibus Ciuitatis praedictae sustineat: exceptis tamen immunibus ob numerum duodecim liberorum, qualis est D. Philippus Vignola, qui rogatu, mandatoq; Magnificorum Dominorum Cōseruatorū Ciuitatis Mutinae praesentia statuta composuit. Et si quis cōtra formam & dispositionē praesentium statutorū in collegium praedictum admissus fuerit, huiusmodi receptio & admissio nullo modo ualeat.

Et quo facilius disposita in praesentibus statutis executioni tradantur, & effectum consequantur, statuimus & ordinamus, quod in supra dictum collegium ipso iure uirtute praesentis statuti recepti sint & esse intelligantur, omnes in calce praesentis statuti nominati & descripti: attento, quod ipsi a quamplurimis annis & citra continue officium procurae in Ciuitate Mutinae exercuerunt, & in possessione uel quasi exercendi fuerunt, ac in praesentia existunt. Et insuper statuimus, quod in primo anno, post factam praesentium Statutorum approbationem, Prior dicti collegii sit & esse intelligatur superius ac inferius nominatus D. Philippus Vignola. Nomina autem, & cognomina praedictorum in dictum collegium ut supra receptorum ac admissorum sunt haec, s. D. Philippus Vignola, D. Dominicus Mazonus, D. Io. Andreas Manzolus, D. Io. Augustinus Pignata, D. Io.

annes Silingardus. D. Antonius Codebos. D. Antonius Prignanus.  
D. Andreas Barocius. D. Io. Laurentius Villanus. D. Marsilius Se-  
ghicius. D. Io. Baptista Scodobius. D. Hieronymus Luchinus. D. Ni-  
colaus Draghetus. Quibus ex mandato præfatorum Dominorum  
Conseruatorum additi sunt. D. Hercules Capellina. D. Iulius Mirā-  
dula, & D. Paulus Forteza.

De Priore dicti Collegii eligendo, & de his, ad quæ tenetur. Rub. II.

**S**TATVIMVS, quod singulis annis eligi debeat unus de Col-  
legio dict. D. Causidicorum, qui præsit & sit Prior ipsius Col-  
legii, hoc modo. Nam uolumus, quod nomina & cognomina  
omnium Causidicorum descriptorum in Matricula dicti Collegii,  
maiorum annis. 30. & Iuris peritorum describantur, & describi de-  
beant unumquodq; seperatim super Breuibus in membranis. & po-  
stea ponantur, & claudantur in una capsula, quæ simul cum clau re-  
manere debeat penes. D. Priorem dicti Collegii. & singulis annis in  
die festiuitatis Sancti Ioannis Euangelistæ mensis Decembris, uo-  
catis Causidicis dicti Collegij, saltem per sonum campanæ, ad uiden-  
dū fieri extractionem infrascriptam, per Priorem ipsius Collegii ex-  
trahatur unum ex dictis breuibus. Et ille causidicus, cuius nomen re-  
perietur in dicto breui extracto, sit & esse intelligatur Prior ipsius Col-  
legii, pro anno proxime futuro: dummodo sit præsens in Ciuitate  
Mutinæ. Et in principio sui officij iurare teneatur in manibus. D.  
Prætoris Mutinæ, & Dominorum Conseruatorum, & D. Prioris, qui  
in anno præcedenti præfuerit, quod fideliter ac diligenter officium  
suum exercebit, & Collegij ipsius statuta seruabit, ac seruari faciet.  
Qui Prior finito anno, & officio suo, rationem administrationis suæ  
successori suo intra dies. X. continuos reddere teneatur, cū reliquo-  
rum consignatione, sub pœna librarum decem ipsi Collegio appli-  
canda. Nec ille, qui uno anno extractus pro dicto Priore fuerit,  
possit amplius esse Prior ipsius Collegij. & nomē & breue. D. Prioris  
extracti non possit remanere, nec reponi in dicta capsula, donec fi-  
nita fuerit extractio dict. omnium nominum, & breuium. Et om-  
nes Priores extrahendi, & eorum nomina & cognomina scribantur  
& scribi debeant in Matricula dicti Collegij literis maiusculis per  
Notariū ipsius Collegij ordine seruato. Et in ultimo anno dictæ ex-  
tractionis, de mense Aprilis, de mandato ipsius. D. Prioris uocatis iu-  
ris peritis dicti Collegij per sonum campanæ, fiat per D. Priorem, &  
iplos iuris peritos noua dict. breuiū descriptio: & ponantur, & clau-  
datur, ac extractio fiat, ut supra, & omnia alia fiant, de quibus in præ-  
senti Statuto disponitur, singula singulis congrue, & respectiue refe-  
rendo. & ita in perpetuum obseruetur.

Quod Causidici teneantur parere mandatis  
D. Prioris sui. Rub. III.

**S**TATVIMVS & ordinamus, quod in pertinentibus ad dictum Collegium Causidicorum, & ad coadunationem Collegij faciendam, & ad tractandum, & deliberandum de negocijs ipsius Collegij, & prout opus fuerit, quilibet descriptus in dicto Collegio teneatur obedire mandatis D. Prioris ipsius Collegij, & conuenire in loco deputato, quem locum esse uolumus, & declaramus cameram Collegij Notariorum Mutinae, sub poena soldorum. XX. pro quolibet contrafaciente, & quotiescumq; contrafactum fuerit, applicanda pro dimidia camerae Ducali, & pro altera dimidia ipsi Collegio Causidicorum.

De Iuramento Causidicorum. Rub. IIII.

**Q**uilibet Causidicus & seu Procurator, cum intrat dictum Collegium, & in ipsum admittitur, teneatur iurare ad Sancta Dei Euangelia in manibus dict. D. Praetoris, & Dominorum Conseruatorum, & D. Prioris Collegij Causidicorum, quod lites & causas, in quibus fuerit Procurator, legaliter, ac fideliter procurabit: & omnium cura, & diligentia officium suum exercebit, & ueritatem non occultabit, & pro uiribus suis per principales suos occultari non permittet, nec causas in longum protrahet.

De electione Notarij Collegij praedicti. Rub. V:

**S**TATVIMVS, quod quolibet anno in supra dicto die festo Sancti Ioannis Euangelistae eligatur per dict. Priorem & Procuratores unus Notarius de Collegio Notariorum Mutinensium, qui sit Notarius dicti Collegij Procuratorum pro anno proxime futuro. Et pro suo salario habere & percipere debeat a quocumq; ingrediente, & admissio in ipso Collegio soldos. 30.

De Officio Notarij praedicti. Rub. VI.

**S**TATVIMVS, quod dictus Notarius ipsius Collegij teneatur semper adesse, quando aliquis admittetur in Collegium praefatum: Et de mandato dict. Prioris, & Procuratorum scribere approbationes, & acceptationes, & omnes determinationes, & ordinationes Collegij praedicti: Et omnia & singula acta, Instrumenta, & alia negocia spectantia ad dictum Collegium Causidicorum.

De his, qui non possunt Officium procurae exercere. Rub. VII.

**S**TATVIMVS, quod nullus, qui non sit descriptus in dicto Collegio Procuratorum, possit officium Procurae exercere pro alio.

Et quod nullus possit esse actor, uel Syndicus, aut curator, uel tutor pro alio in iudicio, nec sub quocumq; alio nomine pro alio in iudicio comparere, uel interuenire, in Ciuitate, uel Districtu Mutinæ, in litibus & causis iudicialibus, siue ciuilibus, siue criminalibus, siue mixtis, coram aliquo Iudice, uel officiali, ordinario, extraordinario, delegato, subdelegato, arbitro, arbitratore, ac quocumq; alio Iudice, quocumq; nomine nuncupetur, sub pœna librarum. xxv. applicanda pro dimidia ipsi Collegio Procuratorum, & altera dimidia cameræ Ducali. Et nihilominus comparere contra formam præsentis Statuti, non audiatur, & acta per eum sint ipso iure nulla, & teneant ad interesse parti, pro qua intercesserit.

Quod nullus, qui non sit descriptus in Matricula Procuratorum, possit pro alio comparere. Rub. VIII.

ET ut fraudibus obuietur, Statuimus, quod nullus, qui non sit in Matricula Causidicorum, possit in aliqua causa pro alio comparere coram aliquo Iudice ad tribunalia, etiam cum principali suo, & dicere sub nomine eius aliqua uerba spectantia ad ordinem iudicij, nec etiam dicere, ipse sic dicit, uel similia uerba, ultra unam uicem, sub pœna librarum x. applicanda ut supra, & nihilominus acta sint ipso iure nulla. Et præfata locum non habeant in coniunctis personis, quæ pro alijs personis coniunctis comparere possint, nisi quod de iure Comuni dispositum est.

De Vestibus, & habitu Causidicorum. Rub. IX.

PRO Conseruatione decoris Collegij præfati, ac personarum ipsorum Causidicorum, & ut Causidici seu Procuratores præfati dignoscantur a cæteris, Statuimus, & ordinamus, quod omnes Causidici ac descripti ac recepti in eorum Collegio, teneantur & obligati sint incedere in habitu Procuratorio, & togati toga se protendente & demissa saltem usque ad genua. Et qui aliter incesserit, uel sine toga præfata comparuerit, exercueritue Procuratoris officium, eo ipso priuatus esse intelligatur officio Procuratorum, & indignus eo effectus.

De filijsfamilias in Collegium admittendis. Rub. X.

STATVIMVS, & ordinamus, quod quilibet filiusfamilias in dictum Collegium Procuratorum admitti possit, dummodo habeat qualitates per præsentia Statuta requisitas, & fideiussionem idoneam præstet pro præsentium Statutorum obseruatione.

In quibus casibus Forensis pro alio comparere possit. Rub. XI.

STATVIMVS, quod Forensis possit esse actor, & Syndicus cuiuscumq; tutoris, & uniuersitatis Forensis, & pro eis in iudicio intercedere usque ad litis contestationem inclusiue tantum. Lite autem

contestata, teneatur Procuratorem constituere, qui sit de Collegio prædicto, & ulterius non audiatur.

Quod Procuratores sint de Collegio Notariorum. Rub. XII.

**S**TATVIMVS, quod Causidici dicti Collegij nõ intelligantur esse seperati a Collegio Notariorũ Ciuitatis Mutinæ. Et ad honores, & onera, beneficiaq; & cõmoda dicti Collegij Notariorũ uocent, & in dicto Collegio Notariorũ cõnumerentur: Dunmodo ipsi Procuratores admissi fuerint in Collegiũ ipsorũ Notariorum, s̄m Statuta ipsorum Notariorũ, & in eorũ Matricula descripti fuerint, & non aliter. Volumus tamẽ, quod nullus Causidicus possit aliquo modo societatem contrahere cum Actuarijs, & siue Notarijs actorum. Sed in omnibus & per omnia Causidicorum officium sit distinctum & separatum ab eis. Et si quis contrafecerit, cadat pro qualibet uice in pœnam librarum. X. applicandã pro dimidia camera Ducali, & pro altera dimidia Collegio Causidicorum.

Quod Procuratores delinquẽtes possint priuari, & puniri. Rub. XIII.

**S**TATVIMVS, quod D. Prætor Mutinen. & D. Prior dicti Collegij Procuratorũ simul teneantur quẽcumq; pcuratorẽ dicti Collegij male se gerentem in officio procuræ, & cõmittentẽ fraudes, & tenentem inhonestam uitam, priuare & cassare de dicto Collegio: Et ei interdicare officium procuræ, uel perpetuo, uel ad tempus. Ac eos arbitrio suo, prout iusticiæ conueniens esse uisum fuerit, punire, & multare.

De Matricula D. Procuratorum facienda. Rub. XIII.

**S**TATVIMVS etiam, quod expensis Procuratorum fiat una Matricula, seu unus liber in chartis membranis, in quo scribantur Statuta dicti Collegij, & Procuratores Matriculati, & Matriculandi in dicto Collegio, & eorum nomina, & cognomina per Notariũ dicti Collegij. Qui liber stare debeat penes D. Priorem ipsius Collegij. Qui D. Prior teneatur eum librum exhibere, & relaxare D. Priori successori suo intra tres dies post electionem dicti successoris, sub pœna librarum trium ipsi Collegio applicanda.

De ueterum Statutorum derogatione. Rub. XV.

**I**Nsuper Statuimus, quod i futurũ præsentia Statuta Collegij Causidicorum inuiolabiliter obseruentur, non obstantibus aliquibus Statutis uel prouisionibus Ciuitatis Mutinæ contrarium disponẽtibus, cæterisq; in contrariũ facientibus non obstantibus quibuscunq;: quibus omnibus per præsentia Statuta abrogamus, & abrogatũ esse uolumus.

F I N I S.

B.  
IV.  
24.

